



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXVII. Argumentum. Disputatur, ac deceditur famosa, fed difficilis Quæstio, Ad quem specter augmentum, vel decrementum monetæ mutuatæ, si ante restitutionem mutui valor Monetæ augeatur, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Non Quintum. Quia procedit, ubi simplex est contractus venditionis, & ab emptore fuit solutum pretium venditori; eo enim casu, si præcesserit pactum redimendi rem venditam, poterit venditor refusione ejusdem pretii rem ipsam recuperare. Secus autem est in proposito casu; in quo Franciscus vendidit triticum, pecunia credita; & sic inivit contractum mutui in ipsa pecunia, expectando ejusdem pecuniae solutionem; unde non potest hanc relinquere, & ex pacto triticum repetere, si ejus valor creverit, cum sit contra justitiam, & in damnum Antonii.

Non Sextum. Falsum est enim, quod ex Justitia Antonius debeat quatuor modios frumenti, quandoquidem initum pretium ab initio fecit contractum transire in naturam emptionis, & venditionis; & ideo ex Justitia debetur pretium, sed non triticum; ut etiam advertit Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 14.

Non Septimum; nam locum habet quando Venditor inficit in nuda, & simplici Venditione, & expectat pretium rei venditæ; quia tunc dilatio solutionis facta est gratia emptoris. Aliter autem est; si cum venditione misceatur mutuum, ob spem majoris pretii, si crescat valor rei mutuatæ: tunc enim contractus fit usurarius; ut bene distinguendo declarat Reginald. d. lib. 25. num. 186.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, ac deciditur famosa, sed difficilis Quæstio, Ad quem spectet augmentum, vel decrementum monetæ mutuatæ, si ante restitutionem mutui valor Monetæ augeatur, vel minuatur?

SUMMARIUM.

1. Jurisperiti sæpè à Theologis dissentiunt.
2. Pecunia valor attendendus.
3. Moneta valor crescit, & decrescit domino.
4. Valor rei mutuatæ quo tempore attendendus?
5. Usura est recipere aliquid ultra sortem.
6. Mensura stavorum si augeatur, quomodo sit restituendum frumentum antea mutuatum?
7. Interpretatio indubii sit contra creditorem.
8. Pensio quomodo solvenda quoad valorem monetæ?
9. Reddendum in mutuo, quantum fuit acceptum.
10. Aequalitas est objectum justitiæ.
11. Frumenti pretio aucto eadem quantitas frumenti est reddenda.
12. Pretium consideratur tantum in emptione, & venditione.
13. Benefaciens aliis non debet ab eis reportare damnum.
14. Valor rerum augetur, aucto pecunia valore.
15. Par debet esse ratio lucri, & damni.
16. Pecunia decrementum spectat ad creditorem.
17. Mutuator non debet esse deterius conditionis, quam mutuatarius, nec vice versa.
18. Debitum solvi potest in quacunque moneta.
19. Argumentum valet à simili.
20. Pensionarius sentit damnum, vel commodum Ducati aurei de Camera, si ejus valor crescat, decrescat, & num. 31.
21. Moneta augmenti, vel decrementi, quæstio difficilis.
22. Moneta usus quando incipit?

23. Moneta bonitas vel intrinseca, vel extrinseca.
24. Pactum ut eadem moneta restituatur, quo ad bonitatem intrinsecam, & extrinsecam an sit licitum?
25. Pactum etiam tantum de restituenda moneta ad eundem valorem servandum.
26. Mora in restituenda pecunia cui noceat, an profit?
27. Moneta bonitas intrinseca si mutetur, cui illa noceat?
28. Monetam ronsam non teneretur creditor accipere.
29. Pactum de restituenda moneta in eadem specie, & numero cui profit?
30. Mutuata pecunia absque alio pacto augmenti valoris, quando sit restituenda?
32. Capta S. Montis Padua cedit augmentum, seu detrimentum valoris monetæ depositatæ in ea.
33. Dotes Monialium Padua deponuntur in Capta S. Montis in sacculo obsignato publico sigillo.
34. Zecchini centum mutuo recepti, sunt restituendi numero centum.
35. Eos est dictio relativa repetens præcedentes qualitates.
36. Moneta non est ens rationis, sed ens reale.
37. Bona nostra sunt, quæ nobis debentur.
38. Pecunia quantitas, an qualitas sit in obligatione inspicienda.
39. Pecunia mutuata in specie restituendum est augmentum.
40. Augmentum mensura stavorum spectat ad debitorem.
41. Verisimile quod est, attendi debet.
42. Moneta bonitas intrinseca si mutetur, est compensanda.

Petrus petit, & obtinet mutuo centum Zecchinos ab Andrea, eos post annum restitutus; & valet libris viginti pro unoquoque. Completo anno valor Zecchini ascendit ad libras viginti duas, Petrus vult restituere libras duas mille in Zecchimis 91. Andreas vult Zecchinos numero centum. Quæritur, an Andreas jure velit?

Scribit Eminentissim. Card. de Lugo de Just. & Jur. disput. 25. num. 124. in hac facti specie Jurisperitos dissentire à Theologis; idemque ego reperi in sexcentis circiter manuscriptis opinionibus, juxta numerum studioforum hujus Diocesis, ad me transmissis. Siquidem Juris utriusque Laurea condecorati scripserunt, Andream jure velle. Theologi verò contrarium affirmarunt.

Theologorum argumenta præcipua, quibus Andream mutuatoris instantiam de injustitia, & Usura condemnant, sunt sequentia.

Primo. Quod principaliter est attendendum circa pecuniam, est illius valor. Toletus lib. 4. cap. 34. num. 2. Rebell. de oblig. Just. lib. 8. quæst. 1. n. 111. & Geminian. conf. 137. in prin. Siquidem substantia pecuniæ verè, & propriè non censetur pendere à materia, sed à valore. Bassus Verb. Usura num. 8. 9. & 10. Molin. de contract. disput. 312. num. 2. Hinc Doctores dicere solent, pecuniam esse quid artificiale constans ex auctoritate, à qua habet æstimationem. DD. in l. 1. ff. de Contrahen. emp. Paul. Rubens in annotat. ad Rotam Rom. par. 9. recent. decis. 67. n. 23. Sed Petrus restituendo libras duas mille restituit totum valorem, & summam, quam habuit, ab Andrea. Ergo totam pecuniam restituit.

Secundum

Secundo. Valor monetæ de jure crescit, & de-
3 crescit domino. Tambur. de Triplici jure lib. 9.
tract. 1. cap. 1. §. 2. num. 3. Rebell. d. lib. 8. qu. 1.
num. 9. Cencius de Censibus quæst. 85. num. 24. in 8.
conclus. Tondut. Resol. Civil. lib. 2. cap. 2. num. 1.
Sed Petrus est dominus Zecchinorum mutuo
traditorum; juxta illud. Mutuum dicitur, quia
de meo tuum fit. Instit. Quib. modis re contrah. oblig.
in prin. Ergo augmentum valoris Zecchinorum
debet esse Petri.

4 Tercio. In æstimando pretio, & valore rei mu-
tuo datæ attenditur tempus contractus, non
tempus restitutionis. Bonac. tom. 2. de contract.
disp. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 21. Sed tempore
contractus mutui Zecchinorum, de quibus in
casu, valor omnium centum erat duarum mil-
lium librarum. Ergo Petrus non tenetur resti-
tuere, nisi tot Zecchinos, quot conficiant duas
mille libras.

Quarto. Usurarius est aliquid ratione mutui
ultra fortem recipere. Sylvest. verb. Usura num. 1.
Card. de Lugo de Just. & Jur. disp. 25. num. 6. Sed
in nostro casu Andreas reciperet libras ducentas
supra fortem. Ergo committeret Usuram.

5 Quinto. Si triticum sit mutuo datum ad men-
suram, puta staria centum, & interim augeatur
mensura stariarum, non sunt restituenda cen-
tum staria tritici secundum mensuram auctam,
sed secundum primam mensuram. Molin. d.
disp. 312. sub num. 4. vers. Hoc eod. modo. Card. To-
letus lib. 5. cap. 34. num. 3. Cardin. de Lugo d.
disp. 25. num. 124. Ergo pari modo Zecchini
non sunt restituendi secundum auctum valo-
rem, sed secundum illum, quem ab initio vale-
bant.

6 Sexto. In dubio interpretatio fieri debet con-
tra creditorem. l. Quidquid adstringenda ff. de Verb.
oblig. Tondut. d. lib. 2. cap. 2. num. 47. Ergo.

7 Septimo. In ambiguis, quod minimum est, se-
quimur. l. Semper in ambiguis ff. de Reg. jur. & po-
tius est favendum causæ debitoris. l. 1. §. Cui
certum & l. Cum certum 10. ff. de Aur. & Argent. le-
gat. Ergo Petrus debitor non nisi ad minorem
summam restituendam est obligandus.

8 Octavo. In cap. Cum olim. & in cap. Cum Canoni-
cis. De Censib. decisum fuit, censum, & pensio-
nem esse solvendam juxta valorem pecuniæ ha-
bito respectu ad tempus impositionis census,
vel pensionis; non autem ad tempus solutio-
nis. His argumentis, & rationibus moti hanc
opinionem communiter amplectuntur Theolo-
gi, & Summistæ, ut videre est apud Tambur. de
Tripl. jur. lib. 9. tract. 1. cap. 1. §. 2. num. 2. Mo-
lina disp. 278. num. 7. & disp. 312. Card. de Lugo
disp. 25. de Mutuo, & Usura num. 124. Sotum lib. 6.
de just. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1. Sylvest. verb.
Solutio. q. 2. Petr. Navar. lib. 3. de Restit. cap. 2.
num. 259. Tolet. lib. 5. cap. 34. num. 2. Filliuc.
tract. 35. num. 490. Layman. lib. 3. tract. 3. cap. 5.
num. 15. & Diana part. 8. tract. 7. resol. 18. quæ
in Coord. est tom. 6. tract. 3. resol. 103. ubi alios
concordantes adducit.

His tamen minimè obstantibus, Jurisperiti fa-
vent Andreæ mutuanti, & volunt, eidem redden-
dos esse centum Zecchinos; quamvis auctus
sit eorum valor, ob sequentes rationes.

9 Primo. In mutuo tantum reddi debet, quan-
tum fuit acceptum. l. Cum quid 3. ff. si cert. petat.
l. Prout quisque 80. ff. de Solution. Sed Petrus ac-
cepit ab Andrea centum Zecchinos. Ergo cen-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

tum Zecchinos Petrus reddere debet Andreæ.

Secundo. In omni contractu, sed præcipue in 10
mutuo; servanda est æqualitas inter contrahen-
tes. l. Si constat. C. de Compensat. l. Obligatione 9. C.
de Solution. Ipsa enim est finis justitiæ, imò ejus
objectum formale, ut notat Rebell. lib. 1. de Præ-
lud. just. quæst. 1. num. 24. Sed non servaretur
æqualitas, si liceret Petro restituere Zecchinos
numero minores centum. Ergo.

Tercio. Diversa ratio esse non potest in mu-
tuo, quod sit traditione tritici, quam traditione
pecuniæ: idem enim est contractus mutui, sive 11
res, quæ traditur, consistat in numero, sive in
mensura. l. 1. §. 1. ff. de Act. & oblig. l. Cum ultra.
C. de Non num. pecun. & Institut. Quib. mod. re con-
trah. oblig. in prin. Sed si mutuo dentur centum
staria frumenti; reddenda sunt staria centum,
sive creverit, sive decreverit frumenti valor, ut
omnes Theologi docent, quos allegat Leotard.
de Usuris d. quæst. 17. num. 3. & num. 19. & Scaccia
de Commenc. d. §. 1. q. 1. num. 415. Ergo sive cre-
scat, siva decrescat valor Zecchini, centum à Pe-
tro sunt restituendi.

Quarto. Quamvis pecunia inventa sit pro pre-
tium rerum, tamen in mutuo non traditur, ut pre-
tium; pretium enim adhibetur tantum in con- 12
tractu emptionis, & venditionis, ad cujus pro-
priam, intimamque naturam spectat merx, &
pretium. Paul. Comit. in Respons. moral. quæst.
44. num. 2. lib. 3. Tondut. d. lib. 2. cap. 2. num. 37.
Ipsa autem pecunia in mutuo spectatur tan-
quam proportio, seu æqualitas corporum, quæ
permutantur. Sotus de Just. lib. 6. q. 1. art. 2. Mo-
lin. tom. 2. disp. 311. Card. de Lugo de Just. &
Jur. disp. 25. num. 118. Igitur sive valor extrin-
secus crescat, sive decrescat, nihil spectat ad na-
turam mutui, cujus respectu pecunia ipsa in
eadem specie, & numero est restituenda.

Quinto. Nemo debet aliis beneficiando, ab 13
iisdem damnum reportare. l. Sed si quis. ff. Test.
quem aper. l. Si servus 61. §. Quod vero. ff. de Furt.
l. Absentia 183. ff. de reg. jur. Sed damnum re-
portaret Andreas, nisi reciperet Zecchinos cen-
tum, etiam eorum aucto valore, eò quia cum
augetur valor pecuniæ, augentur etiam pretia
aliarum rerum. Vivius Com. Opin. 516. num. 56.
Gratian. decis. 85. & sic non posset tot merces,
vel res vendibiles emere cum pecunia ad valo- 14
rem currentem tempore solutionis, quot emis-
set, si pecunia restitueretur ad valorem curren-
tem tempore contractus. Tondut. d. lib. 2. c. 6.
num. 4. Ergo.

Sexto. Par debet esse ratio lucri, & damni, au- 15
gmenti, & decrementi. Vivius d. Opin. 516. n.
46. Rota decis. 149. num. 7. part. 2. recent. & Gra-
tian. decis. 85. num. 9. Sed si Zecchini valor de-
crevisset, & redacti essent, puta ad libras sexde-
cim pro singulo, Andreas passus esset damnum
librarum quatuor pro unoquoque; quia ad
creditorem spectat decrementum pecuniæ juxta
opinionem Rotæ Romanæ, quam semper ample- 16
xa est, ut videri potest decis. 597. par. 1. recent. &
part. 2. rec. decis. 140. & part. 3. decis. 135. Bel-
tram in Addit. ad Ludovis. decis. 42. num. 7. &
eadem Rota coram Illustriss. Priolo tunc Archidia-
cono hujus Ecclesiæ Patavinæ, & ejusdem Sacræ
Rotæ Auditore, die 5. Julii 1666. decis. 261. Er-
go eorumdem Zecchinorum valor auctus debet
cedere lucro ipsius Andreæ.

Septimo. Non debet esse melioris conditionis 17

F 2

Mu-

- Mutuatarius, & deterioris Mutuator in eodem contractu; siquidem inter ipsos præcipue servanda est æqualitas. *Molin. disp. 311. Rebell. d. lib. 11. quæst. 15. num. 12.* Sed ubi & incrementum, & decrementum valoris monetæ spectaret ad Petrum mutuatarium, adhuc ipse esset melioris conditionis, quam Andreas; quia in casu incrementi valoris Petrus faceret restitutionem in Zecchinis juxta valorem auctum, in casu vero decrementi reperiret monetam æream, vel argenteam, quæ conficeret summam restituendam cum nullo, aut paucodetrimento; de generali enim consuetudine debitor potest solvere debitum in quacunque moneta, dummodo
- 18 solvat debitum. *Summa Diana Verb. Moneta n. 2. Abb. in c. Quanto 18. in fin. de Jurejurand. Comitoli. Resp. moral. dict. lib. 3. quæst. 44. num. 4. & Loter. de Re benef. lib. 1. quæst. 39. à num. 166. & seqq.* Igitur, ne talis inæqualitas conditionis sequatur, ad Andream spectare debet variationis lucrum vel damnum.
- 19 Octavo. Valet argumentum à simili. Everard, in locis legalib. loco 13. Decius in cap. Translato n. 8. de Constit. Menoch. conf. 202. num. 131. Sed in Pensionibus Ecclesiasticis, quæ imponuntur in Ducatis aureis de Camera, valor Ducati aurei crescit, & decrescit ad commodum, vel incommodum creditoris. *Gigas de Pension. quæst. 98. num. 6. & 7. Tondut. eod. tractat. cap. 40. num. 22. & 23. quod constanter, ac semper judicavit Rota Romana teste Beltram. ad Ludovis. d. decis. 42.*
- 20 num. 7. Ferentill. ad Buratt. Decis. 626. num. 2. Paul. Rubeus in Annot. ad decis. 67. num. 28. & 29. ubi plures decis. allegat. part. 9. rec. Loterius d. lib. 2. quæst. 39. num. 202. & 207. ubi DD. cumulat. Ergo etiam in casu mutui, in quo traditi sunt nummi aurei, eorum valor crescere, & decrescere debet commodo, & incommodo Mutuatoris Creditoris. Ita defendunt, & sustinent Scaccia de Commercio, & Cambiis d. ff. 1. qu. 1. num. 409. & seqq. & ff. 2. Gloss. 5. num. 148. Anton. Sola in tractat. de Moneta casu 24. Leotard. de Usuris d. quæst. 17. à num. 13. & seqq. qui allegat viginti Jureconsultos sic docentes, quibus adduntur alii decem citati à Diana (etsi inconstans à se ipso, & ab eis recedat) part. 8. tract. 7. resolut. 18. quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resolut. 103.
- 21 Quid dicendum? Aut quibus adhærendum? Quæstio ista non est ita facilis, ut apparet, & eam non paucorum usque ad hanc diem exercuisse ingenia testatur Comitoli. d. lib. 3. quæst. 44. num. 1. nec parum negotii Doctores, facessere ait Rebell. d. lib. 11. quæst. 15. in princ. Imò esse quæstionem altam, antiquam, profundam, confusam, & involutam; ita ut à tergo habeat lupos, & à fronte præcipitium scribit Paulus Rubeus l. C. Roman. in d. Annot. ad Rotam part. 9. recent. d. decis. 67. num. 9. & 10. Cæterum pro recta resolutione casus, & plena discussione materiæ tria sunt præmittenda; & tres pariter casus distinguendi.
- 22 Præmittendum igitur est Primum: Monetæ (sive Ærea, quæ initium habuit sub Servio Tulio; sive Argentea, quæ incepit anno ab Vrbe condita 486. sive Aurea, cujus principium fuit anno 546. teste Budel. de Moneta, & de Re Numm. lib. 1. cap. 2. num. 12. unde Triumviros Monetales, æris nimirum, argenti, & auri flatores retulit Pomponius in lib. 2. ff. iisdem temporibus n. 60.

De Orig. Juris nam nummos in corio, vel chartacea materia non nisi per modum provisionis tempore belli aliquando factos testatur Bobadill. in Pollitico. lib. 1. cap. 1. num. 11.) Monetæ, inquam, duplicem considerari bonitatem; intrinsecam scilicet, & extrinsecam. Bonitas intrinseca consistit in materiæ, seu metalli qualitate & quantitate; nempe ut substantia monetæ sit bonæ ligæ, id est auri puri, argenti nitidi, & absque deterioris temperaturæ mixtione; ac ulterius ut sit justis ponderis. l. si olei, ff. de Visig. ear. rer. quæ usu consum. l. 2. C. de Pond. lib. 12. Gaspar. Ant. Thesaur. de Augm. Monet. part. 1. in 6. conclus. sub num. 45. Menoch. conf. 49. num. 9. Paul. Rub. in Annot. ad d. decis. 67. num. 2. par. 9. recent. idèque immutata dicitur bonitas intrinseca Monetæ vel quando causa est impurius ligæ, & metalli: vel quando tonsa est, & deficit in justo pondere. Sola de Monet. casu 25. Vivius Opin. 516. & Tondut. Resol. Civil. lib. 2. cap. 1. num. 1. & num. 30. Bonitas autem extrinseca consistit in valore monetæ, & ejus publica æstimatione: quæ licet rapiat in se valorem materiæ, & ipsa sola habeatur in consideratione; adeo ut aliqui scripserint, hanc tantummodò unicam bonitatem extrinsecam considerandam esse, scilicet æstimationem, & valorem monetæ. Geminian. conf. 137. num. 1. nihilominus non est danda confusio utriusque bonitatis, quia imò debet esse proportio, & simmetria materiæ cum valore, ut dicit Gloss. in lib. 1. ff. in Verb. Præbe. De Contrah. empr. probat text. in cap. Quanto. De Jurejur. Quæ quidem bonitas extrinseca frequenter solet variari, ut nostris temporibus sæpe vidimus; etsi illa remaneat bonitas intrinseca, quod notat Tondut. d. lib. 2. Resol. Civil. cap. 2. num. 31. Gratian. discept. forens. cap. 560. num. 13. & tradunt DD. in l. Cum quid ff. si cert. petat.

Præmittendum Secundum est, ad vitandam variationem æstimationis pecuniæ, & ejus prædictæ extrinsecæ bonitatis; contrahentes posse convenire super valore monetæ, ut non solum in eadem specie, id est bonitate intrinseca, sed etiam in eodem prorsus valore, quo fuit tradita tempore contractus, eadem restituatur, non obstante quacunque variatione, seu æstimatione extrinsecæ adveniente, in augmento vel decremento; quod quidem pactum est licitum, quia respicit favorem utriusque contrahentis, mutantis scilicet, si valor pecuniæ augeatur, mutuarii verò si diminuatur, & per consequens est omnino servandum, l. 1. ff. conveniat. ff. Depos. l. si dotem. C. de Jure Dotum. l. in conventionibus. ff. de Verb. oblig. Surd. conf. 242. n. 3. Molin. d. tom. 2. disp. 312. concl. 2. Card. de Lugo d. tractat. de Justit. & Jur. disput. 25. à num. 125. & seqq. Rebell. de Obl. Justitia dict. l. 11. quæst. 15. conc. 6. Quod Doctores admittunt, etiam si mutuans probabiliter crederet, de brevi valore monetarum auctum iri; eò quia cum posset Mutuator servare suam pecuniam usque ad tempus aucti valoris, dando illam mutuatorio ante augmentum, censetur pacisci super lucro cessante, ut eadem in specie, & numero sibi restituatur, quamvis valor auctus fuerit, ut bene disputando concludit Cardin. de Lugo dict. disp. 25. num. 128. & 129. Tondut. dict. lib. 2. cap. 1. num. 19. & cap. 3. num. 65. Covaruv. in tract. de collat. numism. S. 1. num. 5. Brun. in tract. de Au-

Augm. & diminut. monet. conclus. ult. limit. 8. n. 1.
 25 & Faber de Variis nummor. deb. solut. cap. 2. Et
 quæ de hoc pacto diximus, procedunt non
 solum ubi expressè sic fuerit conventum inter
 contrahentes; sed etiam si tacitè tantum, &
 per æquipollens ita eos voluisse deprehendatur;
 ita ut sola promissio de solvendo in iisdem Speciebus
 referenda sit non solum ad eandem qualitatem,
 sed etiam ad eundem numerum nummorum.
 Cravett. dict. cons. 47. num. 5. Thesaur. Jun.
 de Moneta part. 2. num. 60. Vers. Nisi certa species.
 Vivius dict. opin. 516. num. 29. & Tondut. ali-
 os cumulans de lib. 2. cap. 3. num. 58. Ap-
 pellatione autem speciei intelligitur numerus;
 quia quod apud Logicos est species, apud Ju-
 risperitos est individuum. Bar. in lib. 3. §. Mu-
 tui datio. ff. Si cert. petatur. Tondut. dict. lib. 2. cap.
 2. num. 39. & cap. 3. num. 52.

26 Præmittendum Tertium est, quod ubi mu-
 tuatarius fuerit in mora, & non restituerit
 monetam pacto tempore, si postea valor au-
 geatur, etiam si de hoc augmento nulla facta
 sit conventio tacita, aut expressa; nihilomi-
 nus teneri illud refundere Mutuatori, ratione
 lucri cessantis, per text. in lib. Non utique. §.
 Nunc de officio. & §. in hanc. l. Quod si ephef. ff. De eo,
 quod certo loco. l. Nummis, ubi Gloss. ff. De in li-
 rem juran. Rebellius, qui in utroque foro
 hanc obligationem arctare debitorem dicit lib.
 8. quaest. 1. n. 11. & lib. 11. quaest. 15. n. 6. His
 ita prænotatis, distinguendi sunt tres Casus.

27 Primus Casus est, si moneta alteretur in bo-
 nitate intrinseca? Et in hoc certum est, ac in-
 dubitatum, restituendam esse monetam, quæ
 currebat tempore contractus, si extet, Si verò
 non extet, restitutionem esse faciendam de mo-
 neta nova, quæ suppleat valorem antiquæ.
 Cyriac. Controvers. 388. DD. in l. Paulus & in l.
 Controvers. 388. DD. in l. Paulus & in l. Cum quid
 ff. Si cert. petat. & in cap. Olim, & in cap. Cum Ce-
 nonicis, de censib. Rebellius dict. lib. 11. quaest. 15.
 num. 4. & Tondut. de lib. 2. cap. 1. num. 3. qui
 28 num. 4. inde deducit, non teneri creditorem re-
 cipere monetam, quæ propter tonsionem fa-
 cta sit minoris ponderis, vel inferioris mate-
 riæ; & num. 5. advertit, id habere locum eti-
 am si de hac intrinseca bonitatis diminutione
 nihil partes convenissent, siquidem est con-
 ventio, quæ de jure inest.

Secundus Casus est, quando pecunia data
 29 fuit cum pacto, ut restitueretur in eadem
 specie, & eodem numero. Et in hoc casu
 augmentum valoris monetæ credit damno mu-
 tuatarii; & utilitati mutuantis; è contra au-
 tem decrementum est damno Mutuantis, &
 utilitati Mutuatarii. Tondut. dict. lib. 2. cap. 1.
 num. 10. & 11. Vivius Opin. 516. num. 37. So-
 la de Moneta cas. 19. num. 1. Rebellius dict. lib.
 11. quaest. 15. num. 8. Gaspar. Anton. Thesaur.
 de Augm. Monet. part. 2. num. 20. Ubi alios al-
 legat; & ratio est manifesta, quia cum dedu-
 cta sit in obligatione non solum qualitas, sed
 etiam numerus; iste debet adimpleri, si ve au-
 ctus, si ve diminutus sit valor.

30 Tertius est Casus, quando tradita est mu-
 tuo pecunia, & de ejus numero, & qualitate
 constat; sed nihil dictum est à partibus de mo-
 do restituendi; nullaque stipulatio, aut ex-
 pressio intercessit, qua in specie pecuniæ faci-
 enda sit restitutio? Et in hoc casu Doctores

distinguendum esse docent; an deducta sit
 in obligatione sola summa, seu quantitas va-
 loris pecuniæ; an etiam qualitas, & species
 ejusdem pecuniæ? Exempli gratia. Tu petis
 mutuo à me sexcentas libras; ego eas trado
 tibi in tot Zecchinis; in hoc casu summa sex-
 centum librarum est in obligatione, non au-
 tem qualitas aurea Zecchinorum. E contra,
 tu petis à me mutuo centum Ducatinos argen-
 teos; & eos recipis. In hoc casu qualitas,
 & species censetur esse in obligatione. Igitur
 primo modo incrementum, & decrementum
 pecuniæ, si quod est tempore solutionis, spe-
 ctat ad debitorem, cui sufficit solvere sum-
 mam sui debiti cum currenti Valore pecuniæ
 tempore solutionis. At non etiam secundo
 modo; in quo cum ipsa qualitas, & species
 pecuniæ sit in obligatione, ipsamet pecunia est
 restituenda in eadem specie, & qualitate; &
 per consequens incrementum, vel decremen-
 tum valoris, si aliquid contingat, dum sit re-
 stitutio illarum pecuniæ specierum, pertinet
 ad ipsum creditorem. Ita ex clara doctrina
 Bartoli in l. Si quis stipulatus fuerit decem in melle.
 57. num. 3. & in l. Paulus, num. 6. ff. de Solutio-
 nib. docent omnes Theorici, ac Consulescentes
 Jurisperiti; & præcipue Covaruv. de Numism.
 cap. 7. §. Unico, numer. 3. Gaspar. Anton. Thesaur.
 de Augm. Moneta part. 2. num. 16. & num. 19.
 Vivius Opin. 516. num. 43. Ant. Sola de
 Moneta casu 24. Scaccia de Commere. & Cambiis §.
 1. quaest. 2. num. 409. & 410. & §. 2. gloss. 5. n.
 148. & 152. Loter de Re beneficiar. lib. 1. quaest.
 39. num. 224. Leotardus de Usur. quaest. 17. nu-
 mer 32. Paulus Rubeus in Annot. ad dict. decis.
 67. num. 27. & sequentibus part. 9. recent. & Ton-
 dut. dict. lib. 2. resolut. civil. cap. 17. num. 7. 8.
 qui omnes innumeros propemodum consu-
 lentes allegant cum hac distinctione proceden-
 tes, & ex Theologis Layman. d. lib. 3. tract.
 3. part. 1. cap. 5. numer. 11. Azor. part. 3. lib.
 10. cap. 7. quaest. 2. & idem notat Peregrin.
 lib. 3. cons. 13. in fine, & Menoch. cons. 49.
 num. 14.

Hinc est quod in materia Pensionum Eccle-
 siasticarum, in quibus Ducati aurei deducun-
 31 tur in obligatione; eorum valor si ve crescat,
 si ve decrescat, semper credit lucro, & damno
 ipsius creditoris pensionarii, quia semper debitor
 Pensionis debet solvere tot Ducatos aureos, quot
 expressi sunt in Bullis Apostolicis, etsi pluri-
 valeant tempore solutionis, quam valerent
 tempore impositionis, ut supra notavimus ex
 Tondut. de Pension. cap. 40. & semper tenuit,
 & judicavit Rota Romana teste Loter dict. lib.
 1. quaest. 39. numer. 207. Paul. Rubeo in Annot.
 ad d. decis. 67. num. 27. & 28. part. 9. recent. &
 habetur part. 1. recent. decis. 597. part. 2. decis.
 149. part. 3. decis. 135. coram penia decis. 464.
 coram Ludovis. decis. 42. & ibi Beltram. num. 7.
 & in quam plurimis aliis decisionibus. Et è 32
 contra Illustrissimus Capserius sancti Montis
 hujus Civitatis Paduæ, quamvis valor monetæ
 si ve aureæ, si ve argentæ, quam dietim reci-
 pit ab illis, qui deposita faciunt, augeatur;
 non tenetur iisdem refundere dictum augmen-
 tum, sed remanet in capsâ sancti Montis, ea
 ratione quia Capserius non deducit in obliga-
 tione monetarum species, si ve corpora; sed
 genus, & summam librarum juxta currentem

valorem; & ideo ipsa Capla non constituitur debetrix speciei, sed generis; & sic incrementum; & decrementum valoris pecuniarum spectat ad ipsam; sunt enim deposita illa irregularia, quæ transeunt in naturam mutui, cum translatione dominii in eandem Caplam; (exceptis depositis Dotium Montialium, quæ in sacculo obsignato sunt juxta Partem Excellentissimi Senatus anni 1660,) Mantica de rusticis, & amb. lib. 10, tit. 2. numer. 10. & tit. 3. num. 12. & Tondut. dict. lib. 2. Resol. civil. cap. 4. num. 68. ubi ait, legem esse in Gallia prohibentem contractus fieri in alio modo, quam in summa librarum. Et idem dicit cap. 8. numer. 2.

Ex hucusque deductis, pro involutæ materiæ explicatione, facilis est resolutio propositi 34 Casus; quem juxta opinionem Jurisperitorum intelligendum esse censet Curia Episcopalis, & per consequens centum Zecchinos per Petrum restituendos fore Andream, qui jure eos petit in hoc numero.

Ratio manifesta est, scilicet quia species, & numerus Zecchinorum sunt in obligatione; ait enim Casus; Petrus petit, & obtinet centum Zecchinos ab Andrea, eos post annum restituiturus. Mi Lector, pendis Verba hæc? Petrus petit, & obtinet mutuo centum Zecchinos. Non petit duo milia librarum. Igitur petendo Zecchinos, deducta est in obligatione qualitas monetæ aureæ; petendo centum, deductus est in obligatione numerus aureorum; & cum sponderit, se eos restituiturum post annum, utique spondit illos restituere in eadem specie; & in eodem numero, nam dictio EOS est relativa, quæ demonstrat, & repetit qualitates præcedentes. Rota coram Emin. Celfo decis. 260. numer. 12. Barbosa diction. 103. numer. 3. Cravetta conf. 98. num. 8. & per consequens cum suo augmento, ut dictum est in secundo notando; & scribit Gaspar. Anton. Thesaur. in dict. tract. de Augment. Monetæ part. 2. num. 16. ubi testatur, sic judicatum esse & tali jure hodie nos uti; quod docet etiam Layman. dict. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 5. num. 13. & confirmat Leotard. de Usuris dict. quæst. 17. numer. 13. Scaccia de Commenc. & Camb. d. 5. 1. quæst. 1. num. 409. & §. 2. gloss. 5. num. 148. & Vivius d. Opin. 516. num. 43. apud quos infiniti DD.

Neque obstant Argumenta pro opinione Theologorum allegata. Non primum: Quia omnino negatur, substantiam pecuniæ consistere in solo ejus extrinseco valore, & imposititia æstimatione. Layman. d. lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. num. 25. Vers. Sed facilis, siquidem pecunia non est Ens rationis, sed Ens reale, quod videtur, tangitur, & contrectatur, & in contractibus, qui se contrahuntur, adhibetur; ut bene respondet P. Comitoli, in resp. moral. lib. 3. quæst. 44. num. 2. Vers. Verum enim, Et ideo ultra æstimationem attendenda etiam est materia ipsius, nempe metallum, qualitas, ligæ puritas; & sic bonitas intrinseca, & per consequens etiam numerus specierum; seu nummorum, qui traditi sunt, ut totidem cum suo augmento restituantur; ut eruditè agit Leotard. de usuris dict. quæst. 17. à num. 20. & seqq.

Non obstat secundum. Quia Andreas non petit augmentum Zecchinorum, quos numeravit Petro, qui factus est dominus eorum, l.

2. §. 2. ff. Si cert. pet. & quos Petrus expendit, seu consumpsit; sed petit augmentum Zecchinorum, qui sunt restituendi ipsi Andream in eadem qualitate, & numero; ipsi enim non dicuntur esse Petri, sed Andream; siquidem bonis nostris adnumeratur id, quod nobis debetur. lib. Princeps. 21. & l. Rei appellatione ff. de Verb. Signif. Et pecunia mea est, quam alius mihi debet. l. Si & me, & Tertium 32. & ibi Gloss. ff. Si cert. pet. Ideo sicut valor pecuniæ augetur iis, qui eam possident, ita crescit iis, quibus debetur. l. Cum dotem. C. de Jure Dotium; quod latius prosequitur Leotard d. quæst. 17. num. 29.

Non obstat Tertium. Quia, ut dictum est 38 supra, aliud est, si deducatur in obligationem summa librarum, in genere; aliud si qualitas, & numerus aureorum in specie. Primo casu sufficit solvere ipsam summam ad liberandum debitorem; at secundo casu solvendi sunt totidem aurei in specie, & in numero. Loter. d. lib. 1. quæst. 39. num. 224. Leotard. d. quæst. 17. num. 32.

Non obstat Quartum. Quia falsum est, 39 Andream recipere ducentas libras supra sortem; ipse enim non dedit Petro in sortem librarum summam, sed Zecchinos centum; unde recipiendo à Petro eundem numerum centum Zecchinorum, solam suam sortem recipit; & quamvis auctus sit valor Zecchinorum, augmentum illud est accessio, quæ non parit usuram; nam illa æstimatio Zecchinorum est res incorporea, quæ consistit in sola hominum opinione, & non facit corpus ex se, sed inest forti, ut doctè explicat Gaspar. Anton. Thesaur. d. tract. de Augm. Monetæ part. 2. num. 8. Et ex hac responsione.

Non obstat Quintum; siquidem augmentum mensuræ statorum frumenti addit cor- 40 pora corporibus, & reddit frumentum ultra sortem; ideoque non licet habere illud augmentum sine Usura, quia de jure non inest, neque est res incorporea, pro ut æstimatio Zecchinorum.

Non obstat Sextum, & Septimum; nam neque sumus in dubio, neque in ambiguis; 41 sed in claris, & manifestis: eo quia contracta est obligatio super centum Zecchinis, quæ dissolvi non potest, nisi centum Zecchinorum restitutione. l. Tutor. 41. §. Lucius ff. de Usur. l. 1. ff. de Compensat. Leotard. d. quæst. 17. num. 3. & 4. Præterquam quod, quando etiam esset locus ambigendi, cum omnis conventio debeat interpretari secundum id, quod est verisimile. Card. Mantica de rusticis, & ambig. lib. 3. tit. 1. num. 12. interpretatio est profus facienda ad favorem Andream, non est verisimile, ipsum voluisse se committere periculo amissionis octo, vel decem Zecchinorum, sed stipulatum fuisse, ut sibi restituerentur in eadem bonitate, qualitate, & numero secundum tempus contractus. l. Cum quid ff. Si cert. petat. Guid. Pap. decis. 493. Tondut. d. lib. 2. Resol. civil. cap. 3. num. 54. & Gratian. Discept. forens. cap. 884. num. 22. & 23. ubi dicit, hanc esse probationem liquidissimam ob juris præsumptionem.

Non obstat ultimum argumentum desumptum ex c. Cum olim, & c. Cum Canonici, de Censib. quia in dictis textibus mutatio evenerat 42 cit.

circa bonitatem intrinsecam pecuniæ; & ideo statutum fuit; ut solutio fieret in pecunia nova, ita tamen ut suppleret intrinsecam bonitatem, & qualitatem pecuniæ antiquæ, super qua erat obligatio. *Rebell. d. lib. 11. quæst. 15. num. 4.* unde retorquentur dicti textus, & deserviunt ad favorem Andreæ mutuantis, dum decernitur in eis; servandum esse indemnem ipsum creditorem circa bonitatem intrinsecam, qualitatem, & numerum nummorum sibi debitorum; quod quidem illud idem est, quod petit Andreas: cui si dantur centum Zecchini illius ponderis, bonitatis, & qualitatis, cujus erant illi à se Petro mutuati, contentus omnino erit, sive eorum valor, aut æstimatio extrinseca aucta, sive diminuta sit; & hanc sententiam approbant Bartol. & omnes Jurisperiti in *d. l. Cum quid, & l. Paulus ff. Si cert. petat. ac Covarr. & Canonistæ in d. cap. Cum olim, & cap. Cum Canonici. De censib.* Nam si cuderentur novi Zecchini majoris ponderis, & intrinseci valoris, quam hucusque cusi sunt, Andreas non posset centum repetere à Petro, sed tot quot compensarent pondus illorum centum à se datorum, juxta textum in *d. cap. Cum Canonici. De censib.* Et è contra si novi Zecchini à Principe formarentur minoris ponderis, recipere deberet Andreas majorem numerum, quam centum usque ad debitam compensationem ponderis, & bonitatis ejus centum Zecchinorum juxta *supra cit. cap. Olim.* ut docent Gabriel *com. conclus. de Solut. concl. 1. Rota coram Buratto Decis. 626. sub. num. 3.* & Ibi Ferentill. in *Addit. lit. A. Layman. dict. lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. numer. 19. & 26.* & Paulus Rubeus in *Annor. ad dict. decis. 67. part. 9. recent. num. 12.* ubi testatur, hanc esse communem opinionem, & receptam tam in Scholis, quam in Palatiis.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur media attrahendi plebem ad audiendum Verbum Dei, & ad discendam in Ecclesia Doctrinam Christianam.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiam ut Parochiani frequentent, quibus mediis urendum?
2. Rhetorica Ecclesiastica Cardinalis Valerii commendata.
3. Mansuetudo Parochi attrahit plebem.
4. Fiducia in Deum fructuosa.
5. Hercules mystica fabula.

CUM fuisset quæstum quibus mediis Parochi obtraherent, ut populi festinent audire Verbum Dei, Conciones, ac Christianam Doctrinam.

Primò. Alii dixerunt, si illa quatuor Præcepta serventur, quæ notata fuere ad casum Prudentialem in *Decis. XXIIV.* Proximè præterita; videlicet, 1. Quò ad ipsos Parochos. 2. Quò ad materiam. 3. Quo ad Auditores. 4. Quò ad modum loquendi, & prædicandi. Ideò dicta præcepta executioni mandentur ab omnibus animarum Rectioribus, nec non à Concionatoribus libello Rhetoricæ Ecclesiasticæ Eminent. Cardin. Valerii, typis impresso anno 1672. Patavii per Matthæum Cadorinum Bibliopolam, studeatur.

Secundò. Alii, Si Parochus omni die festo non solum prædicaverit, & doctrinam Christianam docuerit, sed populum invitaverit, ut lubens accedat; nam *Bos capitur cornu: Voce ligatur homo:*

Tertiò. Alii; Si mansuetis verbis, comitate, ac charitate utatur Parochus in convocando populo ad imitationem Apostoli, qui aiebat *Philipp. 1. 8. Testis est mihi Deus, quomodo omnes Vos cupiam in Visceribus Christi.*

Quartò. Alii: Si Parochus perseveraverit in docendo, & prædicando, habens fiduciam in Domino; ait enim *S. Bern. in lib. 4. de Consid. Fac tu quod tuum est; nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga, & tuas implevisti partes: sane ubi voluerit, incrementum dabit Deus. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil.*

Quintò. Alii; Ut constantiam Parochi in prædicando, & docendo necessariam ostenderent, dixerunt, Herculem, constantiæ Typum, ab antiquis figuratum habere catenam in ore, qua ducebat turmam magnam populo- rum in auribus devictorum; unde Alcibiades emblema formavit, & cecinit:

Cedant arma toga, & quamvis durissima corda.

Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Sexto. Alii; Si frequenter Parochi declarabunt necessitatem, & utilitatem audiendi Verbum Domini; tum; quia *Quod corpori est cibus, hoc anima est divinorum eloquiorum doctrina. S. Greg. hom. 6. & est signum Prædestinationis; Qui ex Deo est, Verba Dei audit. Joan. 8. 47.* tum etiam quia innumera sunt exempla converforum ad poenitentiam, ob auditum Verbum Domini, ut de David, Nabuchodonosor, Josaphat, Augustino, & aliis.

Septimo. His mediis, propriis quidem, & efficacibus, unum aliud propriissimum, & efficacissimum addidit Curia Episcopalis, videlicet, si Parochum delectabit studium sacrorum librorum, & munus prædicandi, ac docendi populum suum Doctrinam Christianam, & eloquia Divina, juxta illud, *Labor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. Psal. 118 V. 162.* illumque non pigebit imitari Salvatorem, *Qui erat quotidie docens in Templo. Luc. 19. 47.*

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sint Usurarii manifesti; & duodecim poenæ infliguntur de Jure contra illos.

SUMMARIUM.

1. Pena quam de Jure sint infligenda contra Usurarios?
2. Restitutio quomodo facienda ab Usurariis?
3. Usurarius manifestus qui censetur?
4. Sacramenta deneganda Usurariis publicis: & auditio Missæ.
5. Sepultura Ecclesiastica quando sint incapaces Usurarii?
6. Usurarius an repetat usuras à se aliis solutas?
7. Appellatio non datur à sententia condemnatoria Usurarii.
8. Testamenta Usurariorum non sustinentur.
9. Usurarii expellendi à civitatibus. Et sunt infames.
10. Usurarius non potest fieri clericus.
11. Pena contra Usurarios an incurvantur ipso Jure?
12. Exemplum Usurarii à Deo puniri.

Succ.